Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich).

Quelle:
Copyright:



"ad hujus operis translationem, nisi quod amicitia
"Osii, cui de se in hac petitione tenebatur maxi-
"me obedire, difficultatem laboris injuncti ad fa-
"cilitatem redigeret. Quod autem amicitia diffi-
"cilia ad facilitatem possit redigere, probat exem-
"plo sumpto a virtute. quia virtus hoc potest, ergo et
"amicitia. Sed quod virtus hoc possit auctoritate
"ysocratis philosophi probat. et ab hoc incipit di-
"cens ysocrates." Huc usque Anonymus. Sequitur
jam ipsa Chalcidii ad Osium epistola hujus tenoris:
"Osio suo Calcidius. Ysocrates in exortacionibus
"suis virtutem laudans. cum omnium bonorum
"totiusque prosperitatis consistere causam penes
"eam diceret. addidit solam eam esse. que res
"impossibiles redigeret ad possibilem facilitatem.
"preclare! Quid enim generosam magnanimitatem
"vel aggredi pigeat. vel ceptum fatiget. ut tanquam
"victa difficultatibus se temperet a labore?
"Eadem enim opinor vis amicicie. parque inpos-
"sibilium pene rerum extricacio. Cum alter ex amicis
"jubendi religione. alter parendi voto complaciti operis
"aminiculetur effectui. Conceperas animo florente om-
"nibus studiis humanitatis excellentique ingenio tuo
"condignam spem perventuri operis intemptati ad hoc
"tempus. ejusque usum a grecis lacio statueras mutu-
"andum. Et quamquam ipse hoc tum facilius tum
"comodius facere posses. credo propter admirabilem
"verecundiam ei pocius volueris injungere. quem
"te esse alterum judicares. possemne oro te. quamvis
"res esset ardua. tanto honore habito de quo ita sense-
"ras. injunctum excusare munus. Et qui nunquam
"ne in solempnibus quidem et usitatis voluntatibus
"ullum officium recusassem. huic tanto tamque
"honesto desiderio contradicere? in quo declinacio spe-
"ciosi muneris excusacione ignorancie callida esset
"sciencia futura dissimulacio. Itaque parui. cer-
"tus non sine divino instinctu id mihi a te munus
"injungi. propterea que alacriore mente speque
"confirmaciore primas partes tymei platonis aggres-
"sus. non solum transtuli. Sed etiam partis ejusdem